



AVERTISSEMENT

Ce document est le fruit d'un long travail approuvé par le jury de soutenance et mis à disposition de l'ensemble de la communauté universitaire élargie.

Il est soumis à la propriété intellectuelle de l'auteur. Ceci implique une obligation de citation et de référencement lors de l'utilisation de ce document.

D'autre part, toute contrefaçon, plagiat, reproduction illicite encourt une poursuite pénale.

Contact : ddoc-theses-contact@univ-lorraine.fr

LIENS

Code de la Propriété Intellectuelle. articles L 122. 4

Code de la Propriété Intellectuelle. articles L 335.2- L 335.10

http://www.cfcopies.com/V2/leg/leg_droi.php

<http://www.culture.gouv.fr/culture/infos-pratiques/droits/protection.htm>

DE CAUSIS ET PROCESSU UNIVERSITATIS A
PRIMA CAUSA

LIBER I

- 5 DE PROPRIETATIBUS CAUSAE PRIMAE ET
EORUM QUAE A CAUSA PRIMA PROCEDUNT

TRACTATUS QUARTUS

- 10 DE FLUXU CAUSATORUM A CAUSA PRIMA
ET CAUSARUM ORDINE

CAP. 1. QUID SIT FLUERE REM A RE.

Quia iam intendimus explanare, qualiter causatum fluat a causa, oportet nos primum dicere, quid sit ipse fluxus. Alia est enim divisio causae et alia divisio fluentis principii. Non enim fluit nisi id quod unius formae est
5 in fluente et in eo a quo fit fluxus. Sicut rivus eiusdem formae est cum fonte, a quo fluit, et aqua in utroque eiusdem est speciei et formae. Quod non semper est in causato et causa. Est enim quaedam causa aequivoce causa. Similiter non idem est fluere quod univoce causare. Causa enim et causatum univoca in alio causant aliquando. A fonte autem, a quo fit fluxus, non fluit
10 nisi forma simplex absque eo quod aliquid transmutet in subiecto per motum alterationis vel aliquem alium. Sicut dicimus formam artis ab arte simplici

fluere, quae eiusdem rationis est in spiritu, qui vehiculum suum est, quando fluit in manus et organa artificis et quando accipitur in ipsa arte ut in origine sua. Si enim aliquid transmutat materiam, in quam influit forma defluens, hoc tamen nihil est de essentia principii, a quo fit defluxus. Sed sunt
5 qualitates activae vel passivae alicuius alterius causae instrumentaliter transmutantis subiectum. Sicut dolabrum et securis instrumenta sunt artificis adhibita corporaliter propter materiam, non propter formam artis, quae defluit, vel propter artem, quae principium est fluxus illius. Unde cum causa nihil agat nisi in subiecto aliquo existens, fluxus autem de ratione sua nihil
10 dicat nisi processum formae ab ipso simplici formali principio, patet, quod fluere non est idem quod causare.

Adhuc autem, nec idem est quod principiari. Si enim vis fiat in eo quod est principium, omne principium aliquid rei est, cuius est principium. Et hoc sonat ipsum nomen.

15

Principium enim primum rei est. Id autem quod fons talis fluxus est, de quo hic loquimur, non semper aliquid rei est, quia primus fons nulli commiscibilis est nec pars esse potest alicuius rei, quam constituit. Et propter hoc fluit tam in immediatum quam in id quod mediate est
5 coniunctum, uno et eodem modo se habens ad omnia, quamvis non uno et eodem modo se habeant omnia ad ipsum.

Ex quo patet, quod fluere non est elementaliter constituere. Quod enim elementaliter constituitur, componitur ex primis constituentibus ipsum secundum formam. Fluxus autem vult esse simplicis alicuius, quod in esse
10 suo nihil habet elementaliter componens.

Ex his patet, quod fluxus est simpliciter emanatio formae a primo fonte, qui omnium formarum est fons et origo.

Propter quod PLATO talem originem vocavit datorem formarum. Et si aliquid sit, quod fundat post primam originem formarum, hoc tamen non fundit nisi ex virtute primi fontis influentis in ipsum. Et ideo non fundit universaliter nec ex thesauris propriis, sed ex thesauris a primo fonte mutuatis. Ex quo patet, quod quamvis forma secundum PERIPATETICOS educatur de materia, quod tamen secundum hanc viam non dicitur fluere, sed potius causari vel produci. Sed dici potest, quod fluat, secundum quod est actus ab actu, « domus a domo et sanitas a sanitate », ut dicit ARISTOTELES in VII PHILOSOPHIAE PRIMAE. Istum modum fluxus ANTIQUISSIMI PERIPATETICI et PRIMI « processionem » vocaverunt eo quod in ipso ipsa prima origo formae simplicis communicando se de se emittit formam a se procedentem sine sui diminutione.

Sicut a luce procedit radius et ipse radius in eo cui incidit, per sui diffusionem et multiplicationem et reflexionem constituit lumen simile primo fonti luminis, quantum possibile est. Sicut tradunt PHILOSOPHI constitui luminaria stellarum a luce solis. Propter quod et OVIDIUS dicit :
5 « Quid vetat appposito lumen de lumine tolli ? Mille licet sumant, deperit inde nihil ».

Si autem quaeritur, quid facit primum fontem emittere hunc fluxum, cum possit nihil agere in primum, dicendum, quod ipsa communicabilitas primi, cum semper sit in actu et ex copia bonitatis semper
10 exuberet, hanc facit emanationem. Nihil enim est extra ipsum, quod ipsum de potentia educat in actum vel de habitu faciat agere.

Si enim in potentia esset primum, esset imperfectum et haberet aliud nobilius se, quod ipsum de potentia in actum deduceret. Si vero esset in habitu, esset quasi dormiens et ligatum, et oporteret, quod aliunde haberet ligaminis solutionem. Quae omnia inconvenientia sunt de primo.

5

Ex his patet, quod fluxus semper in fieri est, acceptio autem fluxus aliquando in factum esse. Propter quod si intelligatur intercipi fons, quod non emanet, nihil formarum invenitur esse retinens. Sicut expresse videtur sole patiente eclipsim omnia colorata decore proprio destitui. Inter omnia
10 autem quae principiorum habent nomen et rationem, praecipue sic fluit intellectus agens, qui lumine, quod sibi essentia est, de se sic semper formas emanat, quibus constituit ea quae agit.

Et si quaeritur, quid sit vehiculum fluentis, nihil est quaerere. Forma enim subvecta vehiculo corporalis est et esse corporale habet in
15 spiritu vehente eam. Hic autem emanatio a primo fonte intellectualis et simplex est tam secundum essentiam quam secundum esse. Propter quod vehiculum non habet nisi sui ipsius communicabilitatem. Primum enim, de

quo locuti sumus, propter suam nimiam simplicitatem penetrat omnia ; et nihil est, cui desit ubique et semper existens. Tamen propter similitudinem vehentis spiritus in corporalibus, qui formas vehit in id in quod procedunt, HERMES TRISMEGISTUS in libro DE NATURA DEORUM sicut omnia
5 dicit plena esse deo, ita omnia plena dicit esse spiritu, qui formas et vires deorum invehit omnibus. Propter hanc communicabilitatem PLATO formas posuit in lumine datoris formarum existentes. Sicut formae intellectus agentis in lumine agentis intellectus consistunt separatae et ideo semper sunt se exserentes. Quod facere non possunt, quando quiescunt in materia eo
10 quod tunc per esse, quod habent in materia, clauditur communicabilitas earum. Hoc igitur modo dicitur, quod primum principium est indeficienter

fluens et quod intellectus universaliter agens indesinenter est intelligentias
emittens.

CAP. 2. QUID SIT INFLUERE

Influere autem est fluxum talem alicui receptibili immittere. Quod quattuor contingit modis.

5 Primo quidem secundum rationem formae fluentis, quam habet in primo fluxus principio. Sicut primum principium et intellectus universaliter agens influit in intelligentiam, sive influat ad intelligentiae constitutionem, quam sui luminis fluxu constituit primum principium, sive fluat super intelligentiam ad intelligentiae iam constitutae maiorem illuminationem.

10 Secundo autem modo contingit hoc secundum umbram luminis fluentis, ex hoc scilicet quod distat a limpидitate primi fontis. Sicut fluit ad animae constitutionem, quae propter dependentiam ad corpus necesse est, quod primae limpидitatis et sinceritatis patiatur adumbrationem.

Tertio modo contingit secundum primi luminis casum, quod cadit a ratione luminis intellectualis et corporale efficitur. Omnis enim actus activorum est in patientibus secundum potentiam et possibilitatem passivorum. Et sic fluit in materiam susceptibilem corporeitatis.

Quarto modo, quando fluit permixtum tenebris. Sicut quando fluit in materiam distinctam contrarietate et subiectam varietati, quae contraria sunt limpiditati et sinceritati primi luminis.

5 Fluit ergo ut distans, ut cadens, ut occumbens et ut oppressum tenebris. Cuius exemplum est in forma manante de lumine artis, quae in lumine artis sincerissima est, in spiritu vehente distans est, in organis artificis occumbens est a lumine primae sinceritatis, in lapidibus autem et lignis multis tenebris est oppressa, et tamen una et eadem est in omnibus
10 istis.

Si quaeritur vero, cum dicitur « influere », in quo sit continentia importata per praepositionem, dicendum, quod in possibilitate rei, cui fit influxus. Quae possibilitas rei est ex seipsa. In ANTEHABITIS enim

iam determinatum est, quod omne id quod de nihilo est, nihil est ex seipso et ex seipso non habet nisi ad esse possibilitatem. Quae possibilitas, cum impletur ab eo quod est causa esse ipsius, continet esse defluxum in ipsam. Et hoc proprie vocatur influere, ut influxus sit ex parte primi, receptio autem
5 et continentia ex parte secundi. Ex quo patet, quod si secundum ulterius fluat vel influat, quod non fluit nisi virtute primi. IAM enim habitum est, quod secundum « id quod ipsum est » nihil habet nisi receptionis et continentiae possibilitatem.

Ex hoc etiam ulterius patet, quod in ordine omnium fluentium et
10 influentium id quod prius est, influit in sequens et sequens non refluit in

primum et quod sequens semper fundatur in priori. Et si deficiat sequens, non deficit primum. Si autem primum vel antecedens quodlibet deficiat, necesse est sequentia omnia deficere.

5 Patet etiam, quod primum solum influit universaliter, secunda
autem omnia minus universaliter et magis particulariter, secundum quod
plus distant a primo. Continentia autem secundorum est et non primi, ex
parte illa qua terminatae sunt possibilitates. Primum autem, cum nullo modo
sit in potentia, nullo modo terminatum est. Et ideo fluxus suus est in copia et
universaliter et non restrictus ad aliquam particularem capacitatem vel
10 emanationem.

Si vero quis dictat, quod omnis possibilitas est a materia ; non
omnia autem habent materiam, etiam quae causata sunt ; et ideo continentia
influxus non potest esse ex parte possibilitatis in omnibus ; ostendemus hoc
in SEQUENTIBUS falsum esse. Sed concedimus bene, quod omnis
15 possibilitas receptionis vel est ex materia vel ex eo quod id quod possibile
est, ad materiam determinatur. Et propter hoc erravit AVICEBRON, qui
omnia causata ex materia dicebat esse composita.

Hic enim non est intellectus PERIPATETICORUM, qui intelligentiam et animam non dicunt ex materia esse compositam.

5 Ex hoc patet, quod omne cui influitur, secundum ipsum influxum simplicius et nobilius et verius est in influente quam in seipso ; simplicius quidem, quia in ipso influente simplicem habet fluxum ; nobilius autem, quia alienae naturae impermixtum ; verius vero, quia quanto impermixtius est, tanto accedit ad veram nominis rationem. Nominis enim luminis
10 et permixtius. Propter quod PLATO dixit, quod homo separatus et asinus et cetera huiusmodi verius sunt homo et asinus quam homo et asinus permixtus

carnibus et ossibus ; et quod bonum separatum, quod per se bonum appellavit, incomparabile est omni bono coniuncto secundum simplicitatem, veritatem et potestatem. Et de simplicitate et veritate iam constat per PRAEDICTA. De potestate autem ideo DIXIT, quia separatum per seipsum
5 exserit seipsum et multiplicat et indeficienter ex ipso sicut ex quodam sigillo bona per participationem dicta ab ipso procedunt. De hac autem positione plurima NOS dixisse meminimus in principio X NOSTRORUM ETHICORUM.

CAP. 3. DE MODO FLUXUS ET INFLUXUS

Modus autem istius fluxus et influxus ab ANTIQUIS PERIPATETICIS valde diversus assignatur. ANTIQUISSIMI enim, a quibus primo incepit philosophia, sicut TRISMEGISTUS et APOLLO et
5 HERMES AEGYPTIUS et ASCLEPIUS, TRISMEGISTI discipulus, modum hunc fluxus ponebant in hoc quod primum principium penetrat omnia et est omne quod est de esse omnium ita quod quidquid est in universis praeter ipsum, vel est materia vel accidens. Nec diversificatur in
10 essentia, secundum quod est in omnibus, sed in esse, secundum quod plus et minus occumbit obumbratione materiae in hoc vel in illo. Per hoc enim incipit distare a prima sinceritate et lumine ipsius. Et ideo dicit haec verba HERMES TRISMEGISTIUS, quod « deus est omne quod est. Sed dupliciter consideratur, in seipso scilicet et

in secundo deo, quem ex se constituit. In se quidem solus ipse in se est. In secundo autem, quem ex se constituit, est in omnibus rebus existens totum esse eorum eo quod omnia ad imaginem suae divinitatis formavit et constituit. Propter quod etiam multa deorum genera facta sunt », ut dicit.

5

ILLE AUTEM QUI CONFINXIT LIBRUM FONTIS VITAE, in hoc cum istis convenit quod in penetratione per omnia fluxum istum ponit. Sed in hoc differt ab eis quod primum principium non dicit esse aliquid de esse causatorum, sed seipso distinctum ab omnibus.

- 5 POSTERIORES autem PHILOSOPHI PERIPATETICI fluxum hunc non ponebant nisi in communicabilitate primi et bonitatum eius, quae fluunt ab ipso.

Et opinio quidem ANTIQUORUM pessimus error est et destruit omnes gradus entium. Secundum eos enim omne quod est, formatur immediate ab ipsa primi essentia. Et secundum hoc primum materiae commiscibile est et esse materiale accipiens. Quod stare non potest cum his
5 quae SUPRA de necesse esse probata sunt.

Praeterea, si verum est, quod dicunt, primum numerabile est et agitur in numerum et per differentiae et accidentis proprii divisionem. Quod valde absurdum est. Prima enim non possunt esse plura. Et primum non potest habere comparem vel participem vel contrarium. Quae omnia in
10 ANTEHABITIS iam a nobis probata sunt.

Adhuc autem, quaecumque forma dat esse materiae, prius fuit in eadem materia in potentia et per principia illi materiae determinata educta est ad actum. Oportet ergo, quod primum principium secundum aliquid sui primo esset in potentia et per quaedam agentia alia ab ipso educeretur ad
15 actum. Ex quo sequitur, quod primum principium dependentiam habeat ad materiam ut ad causam et ad aliquod efficiens. Et sic primum principium non erit necesse esse omnio et omnimode. Sequitur etiam, quod ipsum non sit primum. Quae omnia valde absurda sunt.

Propter quod abhorrenda est illa opinio. Et primorum philosophantium fuit, qui artem syllogisticam non habebant, sed in philosophicis palpabant sicut caeci in tenebris.

5 Quod autem dicit AVICEBRON, valde debiliter est probatum. Per hoc enim quod dicamus primum principium penetrare per omnia propter sui simplicitatem, non determinatur ratio, qua sciatur, qualiter bonitas fluens ab ipso efficitur in alio. Quantumcumque enim penetret, semper distinctum est per esse et essentiam. Quod autem est in eo quod distinctum est, distinctum
10 esse habet in ipso. Per hoc autem quod distinctum habet esse, non efficitur in alio. Patet igitur, quod valde imperfectum est dictum hominis istius. Si forte dicere velit, sicut et DICIT, quod secundum semper fundatur in priori et sustentatur sicut homo in animali et animal in vivo et vivum in substantia et substantia in ente et sic omnia sunt in primo praehabita et primum
15 extendit se per omnia, valde inconveniens dictum est, quia secundum hoc primum determinaretur et specificaretur et numeraretur in omnibus sicut ens in substantia et substantia in vivo et vivum in animali et animal in homine, quod nullo modo convenit primo principio.

 Praeterea, in talibus primum in sequenti semper est sicut potentia in
20 actu. Quod autem primum principium in sequentibus sit sicut potentia in actu, valde est perverse dictum.

Opinio vero POSTERIORUM rationabilior est, quod fluxus iste consistit in modo communicabilitatis bonitatum primi. Quod enim de sui natura communicabile est, intellectuali extensione semper extendit se in communicationem. Sicut videmus in puncto lucis, quae quia
5 communicabilis forma est, pyramidaliter semper emittit lumen et communicat omnibus in infinitum, quae infra circulum, qui basis pyramidis est, continentur. Nec ad communicandum se indiget alio agente eo quod per seipsam sui communicabilis est. Sed ut actu communicetur, alio indiget quodam recipiente. Propter quod etiam DICUNT, quod nullo termino
10 coarctatur, maxime fluit, sicut primum, quod nullo termino est diffinibile. Et quia in seipso communicabile est, ad modum liquidi elementi emanat et non terminatur, nisi occurrat aliquod terminatum, in quod se diffundat. Sicut humidum, quod interminabile est in seipso proprio termino, terminatur tamen alieno. Et sicut radii pyramidaliter egressi de puncto lucis in
15 infinitum extenduntur, nisi occurrat aliquid in quod offendentes reflectantur et recurventur in circulum, qui basis est pyramidis. Huius exemplum est in iride et sole. Iris enim semicirculus est basis, dimidiam basim pyramidis solaris effigurans per reflexionem radiorum solis ad aquosam nubem. Si autem coarctatum sit aliquo termino sicut ens diffinibile, quod est
20 intelligentia vel anima vel caelum, non tantae vehementiae est in fluendo. Nihil enim fluit ultra proprium terminum. Sicut ars non fluit ultra terminum artificiatorum, ad quae ars ex sui ratione determinata est.

Sicut etiam intelligentia non fluit nisi ad propriam sphaeram et quae illi sphaerae subiecta sunt. Et anima non fluit nisi ad terminum naturae sui corporis. Et universaliter nullus motor determinatus fluit nisi ad terminos sui mobilis. Termini enim possibilitatis sui mobilis potentiae activae motoris 5 proportionati sunt et oboediunt in omnem bonitatum eius receptionem.

CAP. 4. QUID IN QUID FLUIT

Quid autem fluat et in quid, consequenter est determinare. Ex quod enim fluens non alio movente fluit, sed propria communicabilitate, constat, quod nihil fluit quod est susceptibile actionis vel passionis. Et sic id quod
5 materiale est, proprie loquendo fluere non habet. Hoc enim quodam agente in materiam et dissolvente eam fluere incipit. Et hoc ex propria virtute fluere non habet, sed per accidens. Fluit ergo, quod secundum seipsum se extendit in sui multiplicationem, quemadmodum PLATO dixit de formis per se
10 existentibus. Hoc autem non est nisi primum quidem lumen intellectuale intellectus agentis et secundum lumen corporale, quod luminis intellectualis in corporibus est exemplum. Sicut enim id quod fluidum est, ad sui fluxum non exigit nisi declivitatem, ita quod spiritualiter fluidum est.

Adhuc, quod fluat, non exigit nisi non impeditam communicabilitatem nec impediri potest nisi per alieni termini
15 circumpositionem. Alienus autem terminus est differentia coarctans et terminans, ultra quam fluere non potest. Fluere tamen potest intra ipsam, sicut fluit alveus intra ripas. Ex quo patet, quod si terminos suae diffinitionis

non habeat, quod omnibus supereffluit ; et in quantum latiores habet terminos, latius fluit ; et si strictiores habeat, fluxus eius stringitur et coarctatur secundum omne genus causarum.

5 Sicut patet in genere causae efficientis, quod primum efficiens sine termino fluit omnibus influens efficiendi virtutem. Secundum autem non influit nisi in ea quae sub ipso sunt. Et sic est de tertio et deinceps efficientibus.

Similiter in causis formalibus ens sine termino fluit. Vivum autem non fluit nisi intra terminos vitae, et similiter sensus et ratio et intellectus.

10 Idem est de fine. Finis enim ultimus, qui intentione primus est, omnibus aliis finibus influit movendi rationem ; movendi, inquam, efficienter. Finis autem citra finem illum, cum coarctatus sit, movendi principium non influit nisi in ea quae sub ipso continentur.

15 Et quamvis materia non proprie fluere habeat, tamen quantum potest, hunc ordinem fluxus imitatur. Materia enim corporea a prima materia habet suscipiendi virtutem et sustinendi et fundandi. Similiter materia determinata contrarietate has virtutes habet a materia corporea. Et sic est deinceps usque ad materiam propriam huius vel illius rei.

Patet ergo, quod communicabile in eo quod communicabile, fluere habet, et non habet hoc ab alio, sed a seipso. Fluit autem in hoc quod aliquem habet terminum. Per terminationem enim efficitur illius fluxus receptivum. Termini autem sunt diffinientia ipsum, quia intra illos terminos
5 tota quiditas et esse suum continetur. Termini enim illi colligunt fluxum, usquequo redundat intra ipsos. Et tunc fluit in tertium et sic deinceps, donec in tantum deficit, quod ultra terminos redundare non potest.

Huius exemplum est movens primum et movens motum et id quod est ultimo motum tantum. Movens enim primum sine termino est et de
10 seipso et per seipsum motum influit primo mobili. Movens autem secundum non de seipso influit tertio motum, sed per redundantiam et exuberantiam primi in ipso. Nec redundaret et exuberaret, nisi coarctatum esset. Idem est de movente secundo in tertium et de tertio in quartum et sic deinceps usque
15 ad ultimum, quod est motum tantum, ultra cuius terminos redundare non potest. Nec potest dici, quod in talibus primum ab aliquo se impellente fluere habeat. Secundum autem habet a primo, et tertium a secundo, et sic deinceps, donec in ultimo deficit virtus fluendi ita quod ultra terminos ultimi fluere non potest. Et in talibus sicut deficit virtus fluendi gradatim a primo usque ad ultimum, ita deficit limpeditas et sinceritas fluentis.

20 Propter quod PLATONICI dicebant, quod fluens a primo bonitas forma quidem est in proximis, imago autem in distantibus,

in ultimis autem obscura reflexio sive resonantia sive umbrosa primi
repraesentatio. Tamen omnis virtus istius fluxus a primo est. Et non per
essentiam in omnibus fluit nisi primum, quamvis esse alterum et alterum
habeat, secundum quod est in primis et secundis et ultimis. Differentia enim
5 coarctans essentiam non variat, sed esse alterum et alterum facit. Sicut
differentia constitutiva addita generi essentiam generis non multiplicat, sed
esse generis facit alterum et alterum. Ex quo patet, quid simpliciter fluens
est et quid supereffluens et quid sit, in quo cessat fluxus, et tamen quoddam
esse habet fluentis.

10 In his tamen dubium est, utrum accidens fluat ab aliquo sui generis
principio. Hoc enim videtur, quia omne quod est in genere aliquo, reduci
habet ad unitatem illius generis. Non autem reduci potest nisi per principium
aliquod, quod unum est in omnibus quae sunt illius generis. Omnia ergo
quae sunt illius generis, fluunt ab illo. Sicut omnia quae sunt in genere
15 quantitatis, ab uno fluunt, quod est quantitatis principium. Et sic est de
omnibus aliis generibus.

Unum autem non potest esse substantiae et accidentis principium.
Accidentis ergo et substantiae non est fluxus ab uno.

20 Adhuc autem, in FONTE VITAE dicit AVICEBRON, quod
accidens et substantia fluunt ab eodem. Et mirabilia ex hoc cogitur
concedere inconvenientia. Quorum unum et praecipuum est, quod id quod
substantiale est uni, scilicet primo,

accidentale sit alteri, scilicet secundo, ita scilicet quod in primo sit substantia, in secundo, autem accidens. Quod penitus absurdum est, quia « quod substantia uni est, nulli est accidens ». Loquitur autem metaphoricè « peccans in problematibus ». Et DICIT, quod quidquid est in sphaeris intellectualibus intellectualiter, est in sphaeris materialibus materialiter, sphaeras intellectuales vocans bonitates primorum sive processiones, materiales autem effectus primarum processionum in materialibus. DICIT etiam, quod nihil est in secundis quod non sit in primis secundum aliquem modum.

10 Quod omnis abhorret philosophia. Quamvis enim nihil sit in secundis quod essentia est vel substantia, tamen per esse multa sunt in secundis, quae non sunt in primis. Ex hoc ipso enim quod in secundo est, aliud esse habet quam in primo. Accidens autem, ut probat ARISTOTELES in VII PHILOSOPHIAE PRIMAE, secundum sui naturam potius est esse
15 quam essentia. Si enim essentia esset, absolutam haberet diffinitionem. Nunc autem nec nomen habet absolutum nec diffinitionem, et subiectum in eo est tamquam differentia constitutiva. Et quia per infinitas subiecti

occasiones causatur accidens, propter hoc dicit PHILOSOPHUS, quod id quod per accidens est, in nullo genere est nec ad aliquid unum reduci potest, quod sit sui generis principium. Sed reducitur ad unum, quod est subiectum. Et hoc est substantia.

5 Si autem aliquis ex hoc obiceret, quod aliquid est ens, quod non est ab ente primo, patet, quod non sequitur duplici ratione. Una est, quod accidens non simpliciter est ens. Et sic non oportet, quod reducat ad id quod est principium simpliciter entis. Secunda ratio est, quod accidens, secundum quod est ens, ad primum ens reducitur ut ad principium.

10 « Quidquid enim est principium principii, est principium principiati ». DIXIMUS autem, quod primum principium est substantiae ; substantia autem principium accidentis. Et sic primum ens principium erit accidentis. Hoc autem maxime verum est de accidente, quod est accidens per accidens, quod communi nomine accidentis nominari consuevit. Est autem etiam

15 verum de accidente per se, quod consuevit vocari proprium, quod, sicut dicit BOETHIUS, manat et fluit de essentialibus principiis substantiae, nihil tamen existens substantialium principiorum. Fluit ergo a primo substantia per se. Accidens autem proprium fluit a substantia per essentialia, sed non per essentialia a substantia fluit accidens per accidens.

Et quod dicitur in FONTE VITAE, penitus est contra rationes
PERPATETICORUM.

CAP. 5. DE ORDINE FLUENTIUM A PRIMO

In tali vero fluxu ordo est secundi ad primum et tertii ad secundum et sic deinceps secundum omne genus causae. Et, sicut dicit ISAAC, semper posterius oritur in umbra praecedentis. Umbram autem vocamus
5 differentiam, per quam coarctatur et obumbratur amplitudo luminis a priori procedentis secundum genus cuiuslibet causae. DIXIMUS enim, quod primus fons est intellectus universaliter agens ita quod nihil est de intellectis quocumque modo quod non agat eo modo quo intellectus est. Intellectum

autem dicimus omne quod quocumque modo intelligi potest. Hoc enim non posset intellegi, nisi in lumine primi intellectus constitueretur. Quod autem proximum ab illo est, constat, quod ex nihilo est. Secundum enim « id quod est » nullum habet suae essentiae principium. Si enim tale principium haberet, a seipso haberet. Quod omnino absurdum est. Sui autem esse principium habet id quod ante ipsum est. Primum ergo lumen occumbit in ipso per hoc quod aliud est in ipso esse et « quod est ». Et hoc quidem intelligentia est. Intelligentia autem de se agens est. Et si efficiatur possibilis et recipiens intellecta et intellectum agentis intellectus, occumbens quodammodo est. Non enim de se intellectus est, quod ab alio quodam intelligendi accipit virtutem. Id ergo quod ab alio intelligens est, tertium gradum accipit entium. Cum autem omnis intellectus sit per lumen suum forma constituens id quod intelligitur, si forma sit constituens id quod intelligitur, non intellectualiter, hoc est ad formam intelligentis, sed intelligibiliter, hoc est ad formam intellecti tantum, constat, quod hic tertius gradus entis est. Et sic est de omnibus, quod semper ad aliquem occasum et obumbrationem prioris constituitur sequens differentia entis, sicut sensibile in umbra intellectualis et vegetabile in umbra sensibilis et corpus sola corporeitate determinatum in umbra vegetabilis, corpus autem contrarietate determinatum in umbra caeli, quod sola corporeitate determinatum est. Commixta autem corpora consequenter constituuntur in obumbratione et

remissione qualitatum elementalium. Et hoc quidem iam ante nos dixit
ISAAC in LIBRO DE DIFFINITIONIBUS.

Per quod patet, quod ordinem in gradibus entium non facit nisi
casus et occubitus a lumine primi entis. Sed difficile est videre, quae sit
5 causa occubitus in eo quod primo a primo ente procedit. Illud enim ex primo
ente nullam potest habere obscuritatem. Propter quod videtur aequè
limpidum esse semper et sincerum. Et similiter tertium, quod procedit ab
illo ab aequè limpido et sincero, nullam capere potest obscuritatem. Et sic
deinceps. Et sic videtur, quod in omnibus entibus aequa sit limpiditas
10 luminis et sinceritas in processione, qua primum procedit a primo. Prius
enim nihil accipit a secundo. Differentia enim posterior generi non confert
« hoc quod est », sicut rationale non confert animali « hoc quod sit animal »,
nec accidens proprium confert homini, quod sit homo. Cum ergo quodlibet a
seipso habeat « hoc quod est », a priori autem se habeat esse, a posteriori
15 autem non habet nec « id quod est » nec esse, videtur nullus gradus esse in
entibus secundum speciem vel genus determinatus.

Et propter hoc QUIDAM dixerunt omnia esse unum et quod
diffusio primi in omnibus est esse eorum. Quod pessimum esse errorem iam
in ALIIS determinavimus. Secundum enim hoc sequitur, quod nihil
20 secundorum distat a primo et quod omnia secunda ex æquo se habent ad

primum, sicut primum ex æquo se habet ad omnia. Et sic destruitur universitas rerum, quae, sicut dicit PYTHAGORAS, in multitudine ordinata ad unum consistit. Ubi enim non est prius et posterius, ordo esse non potest. « Ordo enim pars potestatis est », ut dicit GRAMMATICUS, et nisi potestas differens a potestate inveniatur, ordo esse non potest. In aequidistantia autem non est potestas et pars potestatis.

Et hic quidem error ANTIQUISSIMORUM fuit, quem postea ALEXANDER renovavit, et ALII QUIDAM dicentes Iovem esse omnia. Iovem enim primum principium appellabant et omnia dixerunt esse Iovem propter rationem, quae inducta est.

QUIDAM autem, qui materiam primam esse dixerunt primum principium, dicebant Palladem esse omnia et in templo Apollinis inscriptum esse, quod Pallas est, quidquid erat et quidquid est et quidquid erit, cuius peplum nullus umquam revelare potuit.

5 Contra hunc vero errorem, quamvis in MULTIS LOCIS a NOBIS disputatum sit, tamen et hoc addi potest, quod procedens distat ab eo a quo procedit, per hoc quod procedens est et diversae essentiae ab eo a quo procedit. Quae diversitas notatur in hoc quod aliud est in ipso « quod est » et esse. Et si accipiatur immediatum a primo procedens, non potest dici, quod
10 secundum « id quod est » aliud ante se habeat principium, ex quo sit, sicut elementale principium, per quod constituatur. Tamen secundum « id quod est » in potentia est et non in actu, antequam sit. In potentia ergo esse differentiam facit a primo esse. Tertium autem ens, quod a primo et secundo est, similiter in potentia est ad secundum.

15

Et hoc magis est in potentia quam secundum. Et sic est de quarto et de quinto et deinceps. Per gradus ergo « eius quod est » in potentia esse omnia posteriora differunt a primo, et posteriora non eodem modo se habent ad primum. Constat autem, quod secundum differentiam potentiae differat esse
5 in actu et essentia, quae est in illis. Differunt ergo omnia posteriora et in esse et in essentia. Prima enim processio, quae immediate procedit a primo, per esse quoddam efficitur essentia secundi, et per aliud esse efficitur essentia tertii, et sic deinceps usque ad ultimum, in quo stat talis processio. Et quod dicitur, quod id quod posterius est, nihil accipit a priori, falsum est.
10 Accipit enim esse quoddam ab ipso, per quod efficitur essentia ipsius secundum « id quod ipsum est ».

CAP. 6. DE ORDINE CAUSARUM EIUSDEM GENERIS, PER QUAS EST
FLUXUS DE PRIMO USQUE AD ULTIMUM

Cum autem primum non possit esse materia vel forma, non oportet, quod in ordine materiae primae usque ad ultimam fluxus iste requiratur, 5 similiter nec in ordine formae primae usque ad ultimam. Secundum enim non ordinatur ad primum nisi in eodem genere causae. Oportet igitur, quod requiratur in ordine causarum efficientium vel finalium. Et secundum ANTEHABITA non requiretur in genere causae efficientis aequivocae omnino, quia tunc non esset unum in forma, quod fluit per ipsa et ex ipsis. 10 Et cum primum iterum non sit in eodem genere cum aliquo secundorum, patet iterum, quod non erit inter ea quae omnino univoca sunt. Erit ergo inter ea quae dicuntur per analogiam sive per prius et posterius, in quibus secundum quasi instrumentale est ad primum. Et forma, qua fluit primum, magis et magis determinatur et coarctatur, secundum quod fluit in secundo 15 vel tertio vel deinceps. Sicut in exemplo DIXIMUS de arte, quae a mente artificis fluit in spiritum, de spiritum in organa membrorum, de organis in instrumenta et de instrumentis in materiam exteriorem. In omnibus enim his idem est quod fluit, licet secundum aliud esse sit in primo et secundum aliud

in secundo et secundum aliud in tertio et sic deinceps.

5 Et secundum hunc modum dici oportet, quod bonitas fluens a primo sive lumen ad totius materiae illustrationem a primo fluit in intelligentiam et ab intelligentia primi ordinis fluit in eam quae est ordinis secundi, et sic deinceps, et ab intelligentia qualibet in proprium orbem et ab ultimo orbe in sphaeram activorum et passivorum et a sphaera activorum et passivorum in centrum cuiuslibet entis, in quo sicut virtus formativa materiam format ad speciem. Hic enim est ordo, quem OMNES posuerunt PERIPATETICI.

10 Tripliciter tamen in communi determinant eum. ARISTOTELES enim determinat eum per ea quae semper, frequenter et ea quae raro sunt.

Semper enim sunt, quae necessitati subiacent et ab ordine fluendi nullo modo cadere possunt, sicut intelligentia et anima caelestis, si caelum habeat animam, et totus ordo motuum in omnibus sphaeris caelorum. Si vero caelum non habeat animam, erit in ordine intelligentiarum et ordine motuum caelestium, in quibus nihil contingenter fit, sed omnia fiunt sub necessitatis ordine propter eam quae est ad primum, quod est necesse esse, propinquitatem. In his autem quae habent substantiam corruptibilem motam et materiam alterabilem et quae sunt propinqua necessitatis ordini, sunt frequenter. In ultimis vero, quae multis subiacent variationibus, cadunt ab his et fiunt raro. In ANTEHABITIS enim diximus, quod id quod est semper esse, per casum efficitur id quod est frequenter esse. Et hoc ulterius cadendo efficitur raro.

Omnia tamen tria inter se gradus habent. In his enim quae semper sunt, quaedam propinquiora sunt primo, quod simpliciter necesse est esse ; quaedam propinquiora ultimo, quod est frequenter esse ; quaedam vero medio modo se habent. Similiter in his quae frequenter sunt, quaedam propinquiora sunt ei quod est semper esse ; quaedam vero ei quod est raro esse ; et quaedam sunt quae medio modo se habent. Eodem modo se habet in his quae raro sunt. Quae enim ex his plus appropinquant ad id quod est frequenter esse, magis nata sunt contingere ; et quae plus elongatur, minus contingunt, donec tandem stat in ultimo, quod sic est immobile quod in se transfusam bonitatem ulterius non transfundit. In omnibus his, ut dicit ARISTOTELES, non desideratur nisi primum secundum rationem bonitatis vel luminis, quod est ex ipso.

Et secundum hunc ordinem ea quae sunt in primo ordine, simplicioribus et uniformioribus motibus consequuntur bonitatem primi. Quae autem in secundo ordine sunt, pluribus in genere motibus necesse est consequi, motu scilicet locali et alterationis et etiam generationis, secundum quod elementum generatur ex elemento circulariter, ut determinat ARISTOTELES in II DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE. Ea autem quae in tertio ordine sunt, multiformibus valde necesse est uti motibus ad bonitatis illius consecutionem. Et ex hoc patet, quod in omnibus et ab omnibus desideratum est primum et quod omnia moventur ad ipsum et

propter ipsum et quod propter illud agunt, quidquid agunt. « Propter quod optime dictum est, quod bonum est, quod omnia appetunt ».

Haec tria HERMES TRISMEGISTUS in libro DE NATURA DEORUM aliis vocat nominibus. Dicit enim sic : « Haec tria, hymarmenes, 5 necessitas, ordo, maxime dei nutu sunt effecta, quae mundum gubernant sua lege et ratione divina. Ab his ergo omne velle et nolle divinitus aversum est totum. Nec ira etenim commoventur nec flectuntur gratia, sed serviunt necessitati rationis aeternae. Quae aeternitas inaversibilis, immobilis et insolubilis est. Prima igitur hymarmenes est, quae iacto velut semine 10 futurorum omnium suscipit prolem. Sequitur necessitas, qua ad effectum coguntur omnia. Tertius ordo textum servans earum rerum, quas hymarmenes necessitasque disponit ». Haec sunt verba Trismegisti.

Et ad hoc redit quod secunda sunt in triplici ordine. Et ante hoc tamen divinitatis disciplina et ratio, quae nihil aliud est nisi aeterna 15 disciplina et firma ratione emissio luminum a prima intellectuali substantia universaliter agente. Hymarmenes autem, quod Latine sonat « implexio causarum », fluxus sonat per omnem ordinem causarum, quem diximus. Qua implexione ea quae sunt semper, coniunguntur ad primum ; et ea quae sunt frequenter, nectuntur eis quae sunt semper, coniunguntur ad primum ;

20

et ea quae sunt frequenter, nectuntur eis quae sunt semper ; et ea quae raro, connexa sunt eis quae frequenter. Necessitatem autem vocat tractatum inferioris a superiori, qui tractus est eius quod movetur, a movente, sive eius quod imprimitur, ab imprimente. Nec est talis necessitas, quae omnino
5 inevitabilis sit, sed necessitas est obligationis, qua mobile sequitur movens, quantum potest, quamvis aliquando propter materiae inaequalitatem non totum possit consequi. Ordinem vero vocat ordinatam talis incomplexionis et talis tractatus executionem. Haec enim per modum et ideo textus vocatur. Et quod in hymarmene est per modum seminis, in necessitate per
10 modum germinis est et in ordine per modum fructus.

Propter quod dicit APULEIUS, quod antiqui hoc poetice significabant per tres Parces, Clotho scilicet, Lachesim et Atropon ; Clotho dicentes esse, quae stupam tenet sive linum ad totius vitae contexionem : praeteritum, praesens et futurum. Et hoc est per modum hymarmenis, in qua
15 seminarium est totius textus vitae et esse rerum universarum. Lachesim autem attribuunt necessitati, quae linum trahit in licium, ut ordinatae vitae et esse fiat contexio. Atropon autem attribuerunt ordini, quae completum cursum vitae et esse finit et amputat, ne ulterius protendatur, quam lege divina dispositum est. Et propter hoc dicit, quod tribus modis dispositum
20 fuit linum secundum tria tempora periodi esse singulorum, praeteritum scilicet, praesens et futurum. Praeteritum enim est quasi iam revolutum in fuso. Praesens autem est, quod iam digitis explicatur. Futurum autem, quod adhuc colo adhaeret explicandum. Haec enim dicit APULEIUS in fine libri

DE PHILOSOPHIA PLATONIS. Et per omnia concordant cum his quae dicit TRISMEGISTUS. Dicta vero Trismegisti non difficile est ad dicta ARISTOTELIS reducere.

ALII autem subtilius causarum ordinem intuentes in decem ista
5 dividunt, primo ponentes causam primam universaliter agentem ; secundum
vero intelligentiam, quia dicunt, quod causae primae lumen intellectuale est,
quod intellectualiter suscipi non potest nisi ab intelligente, si immediate
suscipi debeat. Si enim intellectuale corporaliter suscipiatur, non erit
immediata susceptio. Tertio vero ordine ponunt animam, quam caelorum
10 animam esse dicunt, eo quod susceptio intellectualis luminis primo casu
cedit ad intellectum imaginativum. Imaginativum autem dico intellectum
operativum, qui per imaginationem figurarum ad corporis speciem
inclinatur. Quarto vero ordine adiungunt caelum, quod formam acceptam ab
anima corporaliter explicat per motum localem uniformem et regularem, qui
15 primus motuum est. Quinto loco ponunt mobile motu recto, qui mixtionis
motus est et id quod in caelo simpliciter est, mixte recipit. In mixto enim
necesse est leve descendere ad grave et grave ascendere ad leve et utrumque
in specie manere, quamvis alteretur in qualitate utrumque ab altero. Sic
enim elementa sunt in mixto, quemadmodum in Naturalibus probatum est in
20 I DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE. Sexto naturam ponunt
mixtorum generatorum et corruptorum, quae natura formativa est

generatorum. Septimo loco ponunt propositum, quod per voluntatem causa est voluntariorum. Per imitationem autem ad naturam ponunt artem, qua cuncta vigere dicunt. Et hanc dicunt octavum locum tenere, secundum quam etiam apes subtilissima quaedam perficiunt opera, quae in omnibus
5 animalibus apparent, plus in nobiles et minus in ignobilibus. Hoc autem principium quidam vocant animalem animam. Nono gradu adiungunt fortunam, quae nihil aliud est quam naturalis potentia vel impotentia pertingens ad omnia illa quae sicut in semine sunt in hymarmene secundum totum vitae et esse periodum. Hymarmenes enim est idem quod QUIDAM
10 LATINORUM « fatum » dicunt, et differt a fortuna, quia fatum est tota causarum implexio et semen, quod est in ipsa ; fortuna autem, quod ex omnibus his adhaeret generato et insit sive imprimatur in ipso. Decimo ordine ponunt casum, qui sic se habet ad naturam et naturae periodum sicut fortuna ad propositum.

15

Haec igitur sunt quae antiqui de ordine causarum tradiderunt. Si enim aliqua alia dixerunt, facile reducuntur ad ista. Sunt autem in eis dubitationes multae et maxime de hoc quod caeli animas habere dicuntur. Et ideo antequam determinemus universi esse fluxum a primo, de hoc oportet
5 inducere disputationem.

CAP. 7. DE QUAESTIONE, UTRUM CAELUM MOVETUR AB ANIMA VEL
A NATURA VEL AB INTELLIGENTIA

Antequam ordo fluentium a primo determinetur, inquirere oportet,
utrum caelum movetur vel a natura vel ab anima vel ab intelligentia vel ab
5 omnibus his vel a duobus primis ex tribus inductis.

Quod autem non moveatur a natura solum, OMNES dicebant
PERIPATETICI quinque rationibus.

Quarum una est, quod natura corporis forma est et non est nisi ad
unum, in quod cum pervenerit, quiescit in illo et non movet ab ipso. Motus
10 autem caeli ad nullum ubi determinatum est, nisi sit etiam ab ipso. Motus
igitur caeli a natura non est.

Secunda est, quod motus naturalis localis a generante est, ut
probatum est in VIII PHYSICORUM.

Caelum autem secundum se totum ingenerabile est. Motus ergo caeli a natura non est.

Tertia est, quia nihil motum naturaliter in loco suo movetur, sed extra locum existens. Et quantum accipit de forma a generante, tantum
5 accipit de motu ad locum. Et cum perfecte acceperit formam, tunc est in loco suo et quiescit in ipso aut violenter prohibetur, ne moveatur ad ipsum, et tunc movetur ab eo quod removet prohibens. Talium autem nihil caelo convenire potest. Caelo igitur non convenit a natura moveri.

Quarta ratio est, quod motus localis in his quae per naturam
10 moventur, non est nisi existentis in potentia ad formam substantialem eo quod motus localis in talibus consequens est naturam. Quod autem caelum in potentia sit ad esse, nullus umquam dixit Peripateticorum.

Quinta ratio est, quod motus localis, qui per naturam est, nec
15 uniformis est nec regularis est. Uniformis quidem non est, quia quo formae generantis est vicinior, eo est velocior. Propter quod omnis motus naturalis in fine intenditur in velocitate. Regularis autem non est, quia minus et magis habet de potentia secundum continuum exitum de potentia ad actum. In fine enim minus habet et in principio plus de potentia et e contrario de actu in fine plus et in principio minus. Et hoc continue est in ipso secundum totum
20 exitum de potentia ad actum. Nec uniformis igitur nec regularis esse potest. Caeli autem motus et uniformis et regularis est. Caeli igitur motus per naturam non est.

Si autem aliquis dicat, quod nec caeli motus uniformis est eo quod dividitur in motum planes et in motum aplanes, ut dicit ARISTOTELES in XI PRIMAE PHILOSOPHIAE, patet statim, quod instantia nulla est. Cum enim dicitur caeli motus uniformis et regularis, hoc dicitur in omni uno
5 mobili et uno motu. Motus autem planes et aplanes nec secundum idem mobile nec secundum eundem motum determinantur, quin potius hoc ipsum quod secundum duos situs oppositos dividitur motu caeli, signum est, quod per naturam non est. Nulla enim quae unius naturae sunt in genere, oppositorum motuum sunt secundum situm, sicut patet in motibus gravium
10 et levium et omnium aliorum.

His ergo rationibus PERIPATETICI dixerunt communiter caelum non moveri per naturam. In quo etiam convenerunt cum STOICIS, qui hoc primi dixerunt quod per naturam non movetur.

5 EPICUREI autem, qui principia motus ponebant figuras et vacuum, soli dixerunt motum caeli per naturam esse et eius esse principium rotunditatem atomorum, ex quibus compositum est caelum. Quod in ANTEHABITIS ostendimus absurdum esse.

AVICENNA autem, qui vult esse Peripateticus, et ALGAZEL, insecutor suus, et ante eos ALFARABIUS et inter Graeco ALEXANDER et

10

PORPHYRIUS caelum moveri dixerunt ab anima et motum eius dixerunt esse processivum vel similem processivo motui ab anima, in quantum imaginativa et electiva, quattuor rationibus, quae colliguntur ex scriptis eorum.

5 Quarum una est, quia cum, sicut HABITUM EST, per naturam esse non possit, non movebitur determinate ab A in B et a B in C et a C in D et iterum a D in A, nisi concipiat situm B et iterum situm C et iterum situm D et iterum situm A particulariter et determinate. Concipiens autem differentias situs particulariter et determinate, imaginativum et electivum
10 est. Movens igitur caelum imaginativum et electivum est.

 Secunda est, quod A B C D situs oppositos dicunt in circulo. Nihil autem ad opposita movetur particulariter et determinate nisi animal imaginativum et electivum. Intelligentia enim et natura principia sunt uno modo se habentia. Animal autem solum est quod imaginationibus et
15 affectionibus oppositis movetur ad opposita secundum situm. Cum ergo caelum sic moveatur, potest, quod caelum movetur ab anima imaginativa et electiva.

 Tertia ratio est, quod in corpore uniformis naturae non est ratio, quare hic vel ibi incipiat motus secundum naturam. Quodlibet autem caelum
20 secundum suam speciem uniforme est. Quantum igitur ad naturam non est ratio, quare hic vel ibi incipiat motus. Si ergo incipit, principium motus non erit per naturam. Erit igitur vel per animam vel per intelligentiam. Cum ergo

intelligentia uno modo sit, per intelligentiam esse non potest. Relinquitur igitur, quod sit per animam. Motus igitur caeli ab anima est.

Quarta ratio est, quod motus corporis oportet, quod efficienter sit ab eo quod est actus corporis. Intelligentia autem nullius corporis est actus.

5 Ab intelligentia ergo non potest esse motus corporis localis. Et probatum est, quod a natura esse non potest. Relinquitur ergo necessario, quod sit ab anima, quae entelechia corporis est.

Si forte aliquis diceret, quod ab extrinseco est motus corporis caelestis, extrinsecum vocans omne quod de natura mobilis non est, tunc

10 non potest esse nisi altero duorum modorum. Aut enim est ab extrinseco, quod formam suam non influit mobili, sicut proiciens lapidem sursum lapidi non influit formam eius quod per naturam ascendit. Aut est sic quod formam suam influit ei quod movetur, sicut desideratum influit desiderio, cum tamen desideratum secundum se maneat extrinsecum. Si primo modo sit ab

15 extrinseco, sequetur, quod motus caeli sit violentus. Quod penitus absurdum est. Ex hoc enim sequeretur, quod motus caeli non esset primus motuum et quod non esset causa omnium naturalium. Si vero secundo modo dicatur extrinsecum, tunc sequetur, quod id quod movetur, perceptivum est formae desiderabilis. Non est autem perceptivum secundum quod corpus. Corpus

20 enim nihil desiderat nec desiderabilis aliquam percipit intentionem. Percipit ergo secundum quod est animatum. Movens igitur immediatum erit anima. Et movens per medium erit id quod desideratum est. Caelum igitur ab anima movetur.

Et hanc opinionem HERMES TRISMEGISTUS, SOCRATES et PLATO et tota secta defendit STOICORUM et MULTI PERIPATETICORUM, quos SUPERIUS nominavimus.

5 Contra hanc opinionem disputat AVERROES et RABBI MOYSES et MULTI ALII PHILOSOPHORUM ARABUM quinque rationes adducentes potissime.

Quarum prima est, quod intelligentia semper et ubique uno modo se habet. Eius igitur quod semper et ubique eodem modo se habet,

ipsa erit causa. Motus autem cuiuslibet caeli semper et ubique eodem modo se habet. Motus igitur caeli potius erit ab intelligentia quam ab anima, quae per imaginationem et electionem non eodem modo se habet.

5 Secunda est, quod anima per imaginationem et electionem mota ad aliquid, illo motu non procedit ulterius, sed stat in ipso et fruitur illo. Nullus autem motus caelestis est, qui stet in aliquo. Motus igitur caelestis ab anima non est.

10 Tertia ratio est, quod omne mobile a perfectione sui motoris necesse est in multis deficere. Motor enim infinitus est secundum virtutem, mobile autem finitum. Si ergo aliquod mobile sit, cuius motus est supra virtutem animae, illus motor anima esse non potest. Anima autem, sicut IAM habitum est, determinata est ad unum per imaginationem et electionem, quod in una tantum differentia situs est. Si ergo mobile est tale quod secundum omnem partem mobilis ad quamlibet differentiam situs 15 movetur, illud secundum omnem partem sui ubique est et non hic vel ibi tantum. Motus ergo ille supra virtutem animae est. Ab anima igitur non est motus caelestis. Cuiuslibet enim caeli quaelibet pars ad quamlibet movetur situs differentiam.

20 Quarta ratio est, quia universalis motus est ante particularem motum sicut causa ante effectum. Dico autem universalem, qui ad ubique est secundum differentiam situs proprii loci ; particularem autem, qui est ad

hic vel ibi esse. Universalis autem motus ab universaliter movente vult esse. Universaliter autem movens non anima est, sed intelligentia. Motus igitur circularis caelestis ab intelligentia et non ab anima est.

5 Quinta ratio est, quod si motus caeli esset ab anima imaginante et eligente, motus caeli quantum ad imaginationem et electionem univocus esset motui animalium et similiter motor motori esset univocus. Et ex hoc sequeretur, quod etiam mobile mobili esset univocum. Quod valde absurdum est. Absurdum igitur est, quod motus caeli sit ab anima imaginativa et electiva.

10 Si autem ab istis quaeritur, quomodo hoc quod dicunt, possit esse, cum omnis motor coniunctus et immediatus sit suo mobili, sicut in principio VII PHYSICORUM probatum est, intelligentia autem separata est et nulli per naturam coniuncta, dicunt, quod intelligentia per lumen suum emissum in hoc vel in illud sive per lumen influxum huic vel illi efficitur immediata et coniuncta. Dicunt enim, quod intelligentias esse in nobis vel in
15 quibuscumque nihil aliud est quam illustrationes intelligentiarum esse in nobis vel in quibuscumque. Illustratio autem haec est in propinquis quidem iuxta intelligentiam per lumen, quod secundum rationem et rem intellectuale est ; in remotis autem est per casum ab illo : sicut in seminibus plantarum et
20 animalium, in quibus non est per rationem intellectualis luminis, sed per rationem tantum intellectualiter formantis. In caelo igitur, quod proximum intelligentiae est, utramque retinet rationem eo quod ibi est intellectualiter

illustrans et intellectualiter movens. Et ideo movet quamlibet partem mobilis ad esse ubique, sicut intelligentia ubique est. Hoc autem lumen animae lumen esse non potest, sicut IAM habitum est. Sed acceptum in caelo esse specificum caeli est et ideo quandoque, quamvis minus proprie, anima caeli
5 vocatur. Et sicut in naturis generabilium et corruptibilium dans formam dat motum, et forma quidem actus et esse eorum est, motus autem consequens esse, sic dico, quod intelligentia influens caelo lumen hoc caelo dat actum et esse et motus circularis consequens est esse illud. Propter quod dicunt, quod motus de substantia caeli est eo quod substantiam et esse consequitur, sicut
10 motus descendendi de substantia et esse gravium est. Cum enim lumen perceptum ab intelligentia intellectualem sit, secundum intellectualis rationem ubique est et semper. Et propter hoc mobile movet, quantum potest, ad esse ubique et semper. Propter quod etiam dicunt solum motum caeli ubique et semper esse, hoc est, ad omne ubi circumferentiae. Et haec opinio apud
15 Peripateticos solemnior est.

Si autem quaeritur ab istis, quomodo caelum huius luminis perceptivum sit, dicunt, quod propria et naturali puritate talis vitae perceptivum est et non per animam eo quod vitae, quae est per animam imaginativam et electivam, perceptibile non est nisi corpus compositum et
20 commixtum. Haec igitur opiniones sunt loquentium de motoribus caelorum.

Unus autem, qui meo iudicio probabilius loquitur, ALPETRAGIUS scilicet, qui secretum astrologiae sibi esse revelatum dicit, quantum ad motus et causas motuum superiorum quodlibet caelum duos dicit habere motores, universalem scilicet et primum et communem omnibus, qui sicut desideratum quemlibet proprium movet motorem. Et ille est motor primus. 5 Accipit autem hanc propositionem per se notam, quod omnis primi motoris in quocumque ordine virtus maior est in immediate coniuncto mobili, quam in eo quod coniungitur sibi per medium. Motorem autem primum dicit intelligentiam esse, sicut et alii, sive intellectum universaliter agentem. Et 10 hic movet ab ubique esse et semper. Et cum nihil corporeorum secundum se totum possit ubique esse et semper, consequitur ipsum motor proximus secundum partes ubique esse secundum successionem ubi et nunc. Per successionem enim ubi efficitur ubique et per successionem nunc efficitur semper. Et hoc modo secundum motum simplicem et uniformem primum 15 mobile efficitur ubique et semper. Secundum autem mobile et tertium et quartum secundum omnem ordinem caelorum consequitur quidem virtutem eius secundum esse ubique et semper quodammodo et non simpliciter. Inferior enim non est in ubi superioris,

licet superior referatur ad ubi inferioris ut mensurans et continens. Id autem quod sub caelis est, sicut ignis, qui ubique circummovetur in concavo caeli lunae, consequitur ipsum secundum motum non simplicem. Consequitur enim ipsum per generationem corporis, quod in termino natum est esse. Et
5 secundum motus magis difformem consequitur ipsum aër. Propter quod in aëre motus sunt multi. Elementum autem aquae in mari non consequitur ipsum secundum circulationem perfectam. Propter quod mare in fluxu semicirculum lunae sequitur ascendentem. In terra autem, ubi virtus motoris deficit, deficit et motus. Et ideo quieta est. Id autem per quod quodlibet
10 mobile virtutem primi motoris consequitur, non determinat, utrum sit anima vel natura. Hoc tamen constat, quod est lumen vel bonitas procedens a motore primo diversimode participatum a quolibet mobilium ita quod etiam motus animalium, qui processivi dicuntur, in quibuslibet membris eorum ad semicirculum sunt. Et propter hoc membra ad motum pertinentia in ipsis
15 componuntur ex pyxidibus et vertebrae. Figura autem semicirculi in concavo perficit pyxidem, et figura semicirculi in convexo perficit vertebrae, sicut et convexum inferioris caeli in concavum movetur superioris. Et hoc est in omnibus animalibus perfectis. Propter quod in omnibus eis semicirculus a dextro procedit et praecedit et retrahitur et regyrat per semicirculum in
20 sinistro eo quod tales virtutes motum caelorum componunt. Motus autem in imperfectis animalibus super anulos est aequidistantes eo quod causantur a motu caelesti, qui est super circulos paralelos descriptus motibus stellarum diurnis in sphaera caelesti secundum distantiam a circulo aequinoctiali, qui
« cingulum signorum » ab antiquis vocatur.

25

Has opiniones et opinionum rationes nos non determinamus, quid quilibet eligat, lectoris iudicio relinquentes. Hoc solum habetur pro constanti, quod inter intelligentiam et caelum aliquid est sive ut anima sive ut natura, quo caelum particeps efficitur bonitatis in se ab intelligentia defluentis.

CAP. 8. DE ORDINE EORUM QUAE FLUUNT A PRIMO PRINCIPIO,
SECUNDUM OMNEM GRADUM ENTIIUM UNIVERSORUM

His itaque praelibatis ordinem universi esse secundum omnes
gradus existentium, secundum quod fluunt a primo principio, non est
5 difficile videre. Nemo autem arbitretur, quod de ordine temporis aliquid
loqui intendamus, —opinamur enim omnia simul facta esse— sed loquemur
de ordine naturae, quo inferius semper casus quidam est superioris et
inferius incipit, ubi lumen aliquo modo occumbit superioris. Supponentes
autem propositionem, quam OMNES ANTE NOS PHILOSOPHI
10 supposuerunt, scilicet quod ab uno simplici immediate non est nisi unum
secundum naturae ordinem. Hanc enim propositionem nemo umquam
negavit nisi AVICEBRON in FONTE VITAE, qui solus dicit, quod ab uno
primo simplici immediate duo sunt secundum naturae ordinem eo quod in
numeris binarius sequitur unitatem. Supponimus etiam, quod intellectus
15 universaliter agens non agit et constituit res nisi active intelligendo et
intelligentias emittendo. Et dum hoc modo intelligit, seipso rem constituit,
ad quam lumen sui intellectus terminatur. Dum ergo primus intellectus
universaliter agens hoc modo intelligit se, lumen intellectus, quod est ab
ipso, prima forma est et prima substantia habens formam intelligentis in

20

omnibus praeter hoc quod ab alio est.

Et in hoc quod ab alio est, triplicem habet comparisonem, scilicet ad primum intellectum, a quo est et quo sibi est esse ; et ad seipsum secundum « id quod est » ; et ad hoc quod in potentia est secundum hoc
5 quod ex nihilo est. Antequam enim esset, in potentia erat, quia omne quod ab alio est, factum est et in potentia erat, antequam fieret. Intelligentia ergo prima non habet necesse esse nisi secundum quod intelligit se a primo intellectu esse. Secundum autem quod intelligit seipsam secundum « id quod est », occumbit in ea lumen intellectus primi, quo intelligit se a primo
10 intellectu esse. Et sic necesse est, quod inferior constituatur sub ipsa. Et haec est secunda substantia, quae vel anima dicitur vel id quod in caelis est loco animae. Secundum autem quod intelligit se ex nihilo esse et in potentia fuisse, necesse est, quod incipiat gradus substantiae, quae in potentia est. Et hoc est materia sub prima forma, quae est materia corporis caelestis, quae
15 vocatur mobile primum. Materia enim illa potentia divisibilis est. Et dum illustratur forma illa quae loco animae est, statim extenditur per motum, qui quodammodo ubique est, et ad apprehendendum lumen intelligentiae figuram et motum accipit circuli sive corporis sphaerici. Intelligentia ergo, quae inter factas substantias prima est, secundum quod intelligit se a primo
20 intellectu esse, in lumine primi intellectus est et ipsum lumen et sic intelligentia est. Secundum autem quod intelligit se secundum « id quod est », lumen suum extendit ad aliud quoddam esse et sic extenditur in animam vel id quod loco animae est. Secundum autem quod intelligit se ex

nihil esse et in potentia, ad esse materiale descendit, et sic fit id quod primum mobile est sub forma corporeitatis.

Exemplum huius est in arte. Si enim ars comparetur ad lumen intellectus, a quo et ipsa ars constituta est, sic proprie lumen intellectuale est. Si autem consideretur ars in seipsa, secundum quod forma quaedam est, sic constitutiva est eius quod imago eius est. Si vero consideretur, prout
5 facta est et in potentia et non in actu, requirit id quod potentialiter formam suam suscipere potest, quia formam suam hoc modo constituere non potest per se existentem. Sed constituit eam in eo quod fundat eam terminat.

Sic ergo habemus constitutionem primae intelligentiae, quae vocatur intelligentia primi ordinis. Habemus etiam constitutionem proximi
10 motoris primi orbis, quem QUIDAM vocant animam caeli primi. Et secundum quod intelligit se in potentia esse, habemus constitutionem primi orbis sive primi caeli.

Cum autem lumen intellectus primi principii fluat in primam intelligentiam et exuberet, constat, quod exuberatio luminis iterum refertur
15 ad primum. Et dum sic intelligit se, per eandem rationem constituit intelligentiam secundi ordinis. Haec etiam intelligit se secundum « id quod est » et sic constituit motorem proximum. Intelligit etiam se, secundum quod in potentia est, et sic constituit mobile secundum, quod est secundum caelum. Intelligere enim se in activo intellectu est lumen intellectuale
20 emittere ad rei constitutionem. Et sic habetur secunda intelligentia et secundus motor et secundum mobile. Et dum illa intelligentia iterum

intelligit se esse a primo intellectu, necesse est, quod intelligat se in lumine exuberante. Et hoc modo constituetur intelligentia tertii ordinis. Intelligit etiam se secundum « id quod est » et sic constituetur motor tertii mobilis. Intelligit etiam se, secundum quod in potentia est, et sic constituetur tertium mobile sive tertium caelum.

Et hoc modo non est difficile determinare intelligentias et motores et caelos usque ad caelum lunae ita quod prima intelligentia et primus motor et primum caelum determinantur ad mobile primum, quod est caelum primum, quod movetur super circulos aequidistantes ad circulum, qui vocatur aequinoctialis, super polos aequinoctialis, qui vocantur poli mundi. Secundum autem mobile sic : circulus signorum, quod movetur super polos orbis signorum. Tertium vero mobile sic : stellarum sphaera fixarum. Quartum vero sphaera Saturni. Quintum sphaera Iovis, et sextum sphaera Martis. Septimum sphaera solis. Octavum sphaera Veneris. Nonum sphaera Mercurii, et decimum sphaera Lunae. Ita quod semper inferior per exuberantiam determinatur superioris per triplicem intellectum, quo intelligit se, secundum quod a superiori est et a primo ; et quo intelligit se secundum « id quod est » ; et quo intelligit se, secundum quod in potentia est. Intelligere enim se activo intellectu semper constituere est alicuius quod est sub ipso, cuius intellectus per lumen suum constitutivus est.

Si autem in superioribus motus plures sunt quam illi quos diximus, tunc necesse est ordines plures esse et intelligentiarum et motorum et

mobiliū. Dicunt enim PTOLEMAEUS et RABBI MOYSES, quod multi et quasi innumerabiles motus sunt in superioribus, qui usque hodie a consideratoribus astrorum non sunt deprehensi.

5 Talis ergo modus constitutionis est intelligentiarum, motorum et orbium caelorum.

10 Post intelligentiam autem orbis lunae et ipsum lunae orbem, qui, sicut dicit ARISTOTELES, in aliquo terrestris est, est intelligentia, quae illustrat super sphaeram activorum et passivorum, cuius lumen diffunditur in activis et passivis, quae super animas hominum illustrat, et cuius virtus concipitur in seminibus generatorum et corruptorum.

15 Si vero lumen, quod a principio primo est, non sit in ratione intellectus, sed in ratione constituentis tantum et formae, tunc patet, quod primum inter substantias corpus sphaericum est, quod solum in se habet omnes situs et differentias et oppositiones et distantias. Habet enim sursum a circumferentia et habet deorsum ad medium. Alias autem dextri et sinistri distantias habet per mobilis elevationem et depressionem. Et sic haec causa motus recti est et mobilis, quod recto motu movetur vel simpliciter vel in

quoddam. Simpliciter quidem sicut in igne sursum, in terra deorsum. In quoddam autem sicut in aqua et aëre. Aër enim in igne descendit et in terra et aqua ascendit. Aqua vero in terra ascendit et in igne et aëre descendit. Et haec in CAELO ET MUNDO determinata sunt.

- 5 Si vero mobile rectum per motum luminis caelestis ad aliud mobile rectum comparetur, per comparisonem quidem ignis ad terram producetur id quod vocatur fumus secundum omnes sui differentias, qui si sit in forma

imperfecta ignis, erit ventus secundum omnes differentias ventorum.

Si vero formam ignis accipiat et non perfectam naturae subtilitatem et raritatem, erunt ignes in caelo micantes sicut stella cadens, cometes, lanceae et dracones volantes. Secundum comparationem autem ignis ad
5 aquam erit exhalatio, quae vocatur vapor secundum omnes sui differentias, pluviarum scilicet, roris et nivium et grandinum et aliorum, quae in libro DE METEORIS determinata sunt.

Si vero elementum in elementum agat sub forma caelestium corporum et virtute, hoc est quod elementa in se agant et a se invicem
10 patiantur non secundum qualitates proprias, sed secundum quod qualitates suae sunt informatae virtutibus caelestium et luminibus et figuris, erunt motus commixtionum secundum omnes differentias, mineralium scilicet, vegetabilium et sensibilibium.

Quanto enim producitur commixtio ad aequaliorem complexionem
15 et aequalitati caeli magis convenientem, tanto ab intelligentiae lumine accipit formam nobiliorem ; et quanto remanet citra hoc, formam accipit ignobiliorem eo quod necesse est in tali intellectus lumen magis occumbere, ita scilicet quod in omnibus his forma ad lumen intelligentiae referatur, virtus autem ad generans proximum, quod est formativa ipsius habens
20 virtutes caelestium immissas et commixtas in materiam et qualitates elementorum. Motus autem et operationes ditinguuntur secundum virtutes eorum. Et in tali commixtione necesse est, quod elementum ad elementum

moveatur et elementum ab elemento comprehendatur et teneatur, sicut IN NATURALIBUS a NOBIS determinatum est. Et dissolutio talium virtutum et comprehensionum causa corruptionis est. Hic igitur modus est, quo PERIPATETICI omnia dicunt produci ex primo.

5 AVICEBRON autem in FONTE VITAE specialem sibi fingens philosophiam dicit, quod post unitatem primi principii, quod omnia penetrare DICIT, binarius est, forma scilicet et materia. DICIT enim, quod prima forma intelligentia est et prima materia ea quae fundat et sustentat formam, quae dicitur intelligentia; et quod forma nec ictu oculi fuit
10 umquam sine materia vel materia sine forma. Prima enim forma, ut DICIT, et determinans materiae potentiam, quae capax est omnium, est intelligentia. Secunda vero corporeitas, quae claudit materiae primae capacitatem. Corporea enim materia non capax omnium est. Tertiam vero dicit

contrarietatem, quae est materia et forma elementorum, quae minoris est
comprehensionis quam materia corporea. Quartam vero dicit formam
commixtionis. Et sic ex primo producit universa. Unde autem veniat
intelligentia vel corporeitas vel contrarietas vel commixtio, per causam
5 rationabilem non determinat eo quod sophismata sequitur et topicas
quasdam rationes adducit, sicut in ANTEHABITIS diximus.

Si quis autem nobis obiciat, quod secundum istum fluxum rerum
etiam sequitur, quod non unum ab uno est tantum, quia intelligentia, quae
primum effectum est a primo principio, non simpliciter unum est, sed tria
10 quodammodo, ut DIXIMUS, dicemus ad hoc, quod intelligentia quidem
unum est secundum substantiam et esse, sed ad hoc quod facta est, tria habet
consequentia et concomitantia ; scilicet intelligere se, secundum quod a
primo est ; et intelligere se secundum « id quod est » ; et intelligere se,
15 secundum quod in potentia est. Et haec non variant substantiam, sed virtutes
eius, et concomitantur ipsam, in quantum ipsa secundum est. Propter quod
haec tria inveniuntur in omni ea comparatione qua secundum comparatur ad
prius.

Ordines autem intelligentiarum, quas nos determinavimus,
QUIDAM dicunt esse ordines angelorum et intelligentias vocant angelos. Et
20

hoc quidem dicunt ISAAC et RABBI MOYSES et CETERI PHILOSOPHI IUDAEORUM. Sed nos hoc verum esse non credimus. Ordines enim angelorum distinguuntur secundum differentias illuminationum et theophaniarum, quae revelatione accipiuntur et fide creduntur et ad
5 perfectionem regni caelestis ordinantur in gratia et beatitudine. De quibus philosophia nihil potest per rationem philosophicam determinare.

Explicit liber primus de causis.